



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCLXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

alimentorum, pensionum, & similium decernere, *Steph. Aufer. in stylo Parlamenti, tit. des provisions 1. parte. Rebuff. loco sup. cit. in præfat. nu. 25.*

Illud quoque considerare debet D. Iudex quod appellatio per Reum interposita, vitio nullitatis laboret; ex eo, quod causæ gravaminis non sunt specificæ & in individuo expressæ, sed involutæ atque obscuræ per relationem ad articulos; ita enim jure cautum & constitutum est, quod in appellatione à decreto seu sententia interlocutoria, debeat appellans nominatim inferere appellationi causas gravaminum, *Clem. Appellanti de appellat. quodque hæc sit forma appellationis; ita ut aliter facta non valeat: veluti si ita dicat appellans, Appello ex causa, quæ in actis vel articulis continetur. Quotiescumque enim aliquid pro forma alicuius actus injungitur, necesse est formam omnino servare, & quidem specificè, nec posse hoc expediri per æquivalentem, seu æquipollentem, l. si & alij in l. ubi autem §. fundi de verb. obl. præf. in loco ab æquipoll. Quæ præmissa Reverendo D. Iudici seu ejus Assessori sufficere merito debent, ad confirmationem decreti (à quo appellatum prætenditur) per Decanum S. Petri lati.*

Cæterum quia pars appellans dissidentia victorie ex causis gravaminum in appellatione nominatim propositis confugit in hoc iudicio appellatorio ad alias causas, in prima instantia minimè propositas, nec dicte appellationis scedula insertas; veluti quod per speciem simonia reservatio hujus pensionis in pactionem deducta sit, acceptis septuaginta duobus florenis pro extinctione partis conventæ pensionis, aliquid obiter dicendum est de novis hujusmodi allegationibus; hoc nimirum, quod nulla ratione D. Iudex ad hujusmodi articulos oculum adijcere debeat; propterea quod appellatio, de qua in hac causa agitur, à decreto seu interlocutoria sit interposita, quæ de jure non potest justificari ex novis allegationibus in causa appellationis propositis: ut expresso jure cautum est, *Clem. Appellanti de appell. l. ad. Rom. singul. 280. Guido de ap. conf. 97.* Sed in eo demonstrando non subsistimus, ob id, quod D. Iudex hujus causæ hujusmodi nova allegata per speciale suum decretum ex causis præactis reiecit, sic ut nunc earundem novarum allegationum nulla prorsus sit habenda ratio. Cujus quidem decreti fiduciâ præfatus Dominus Henricus Back appellatus suas defensiones, ac replicationes adversus hujusmodi novas allegationes nondum proponere voluit, reservans easdem in illud tempus, quo confirmatæ præfati D. Decani sententiæ, causâ quæ ad Iudicem à quo provocatum est, remissa proponendi easdem melior & opportunior erit occasio: cupientes interea per Dominum Assessorem hujusmodi præacti decreti exactam rationem haberi potius, quam importunæ sollicitationis dicti appellantis. Concludimus itaque partes Venerabilis Domini Iudicis esse, ut sententiam præfati Domini Decani confirmet, ac male appellatum judicet, causamque, ac partes ad Iudicem à quo remittat; præfato appellante in omnibus expensis condemnato.

Consil. Wamsl. Tom. I.

De Præbendis.

SUMMARIUM.

Pensionis solutio provisionalis.

1. 5. Probatione promptæ oblatio admittenda.
2. Collusione facta sunt ipso jure nulla.
3. Pensionem per collusionem suo beneficio imponens, beneficio privandus est.
4. 6. Exceptiones quæ opponi possint coram Executore pensionis.
7. Pensionis solutio provisionaliter non est decernenda non existenti in possessione illius, vel obiecti à exceptione nullitatis aut invaliditatis.

CONSILIUM CCLXXIII.

EXCEPTIONES per Dominum Petrum Caulier adversus literas pro parte Domini Joannis van Brakele propositæ, tam ad earundem literarum revocationem, quam ulteriorem denegationem, atque etiam ad avertendam petitiæ nantizationis necessitatem, tam sunt relevantes & concludentes, ut non possit prius adversus Dominum Petrum quicquam statui, quam de iis cognitum sit: præsertim ex eo, quod procurator Opponentis promptam, paratamque probationem earundem offerat. Id enim efficit, ut sine manifesta injuria reijci non possint, *Clem. fin. de appell. aut antè ad solutionis necessitatem Opponens cogi, quàm de efficacia obligationis constet.* Equidem exceptio collusionis per Opponentem obiecta non tantum pertinet ad reservatæ pensionis iniquitatem, sed etiam invaliditatem ac nullitatem: † ut ferè omnia, quæ per collusionem fiunt, ipso jure nulla sunt, l. cum non iusto de collus. deteg. * & in beneficialibus beneficio suo privari meretur, qui per collusionem suum beneficium pensionem gravari patitur, vel procurat, c. Audivimus de collus. detegen. Gig. de pens. c. 42. * Et quamvis ad impediendam provisionalem solutionem coram Executore non possint proponi exceptiones, quæ altiore indaginem requirunt, Gigas de pens. q. ult. videri posset exceptio collusionis informiter proposita, hoc est nulla particulari collusionis demonstratione facta: sic tamen est pro OppONENTE proposita collusionis exceptio, ut de collusionis potestate & jure nulla possit esse dubitatio aut ulterior indagatio, per hujusmodi circumstantiarum & conjecturarum (quibus collusio detegi solet, l. Quia autem §. non simpliciter si quis omissa caus. testam. Bald. in l. 1. in fine C. eod. tit. Ioan. de Anania in d. c. Audivimus) allegationem, quæ indubitam collusionis probationem continet: videlicet per conjunctionem sanguinis simulatam; per titularium, & ventosorum beneficiorum permutationem, ex defectu solutionis, & pacto de non petendo: ita ut notoria in eo constitui debeat nullitas, quæ perinde ut falsitas coram Executore proponi & recipi debet; Gigas d. quæst. ult. num. 22. † Horum itaque oblata probatio reijci non debet; præsertim, quod in continenti, hoc est tam brevi dilatione, quam Dominus Executor præscribet, illius offeratur probatio; tum etiam quod ex tenore titulorum ipsorum beneficiorum, quorum permutatio facta

Z z 2

facta

falsa dicitur, jam satis animo & opinione quivis conceperit, simulatam & collusoriam esse permutationem: ut inde delumeretur occasio, gravandi ejus beneficii, quod verè possidebatur à compermutante extra compermutata beneficia, quorum compermutatio exitum non habuit.

In simili causa est exceptio, quæ ex falsa narratione Impetrantis literas resignationis inserta desumitur; quod scilicet narraverit hanc pensionem non excedere tertiam partem reddituum beneficii gravati; cuius contrarium quoque cum statim probare offerat Opponens antequam solvat admittendus est. * Continet enim & hujus falsæ narrationis detectio intrinsicum vitium nullitatis, cum in gratiosis falsa narratio ipso jure vitiat gratiam, cap. *Ad audientiam De rescriptis. Gigas d. quest. ult. nu. 13.* Vsq. adeo ut sine vitio nullitatis vigore hujusmodi literarum surreptitiarum non possit Executor procedere, c. *Cum nostris de concess. præben.* Quæ omnia facilius recipienda sunt, quod Impetrans numquam fuerit in possessione recipiendi pensionem, abhinc annis decem (uti dicitur) reservatam. † Nam quemadmodum cum literæ super invaliditate pensionis impetrantur, à successore illius, qui beneficium pensione gravavit, non inseritur clausula, *Sine retardatione pensionis*, pensionarius non est in possessione recipiendi pensionem, quia multo tempore eam non recepit, *Gigas de pens. c. 83. nu. 5. Gomef. ad regul. de non iud. iuxta for. nu. 86.* ita quoque Executor, seu Iudex à Pensionario aditus obiectis exceptionibus causantibus nullitatem, vel invaliditatem pensionis, non debet Opponentem urgere ad solutionem pensionis ante omnia; ne sic in concedenda provisione Iudex sit mitior ipsa lege; hoc est Pontifice, qui ex stilo Curie Romanæ ita observat ac pro regula statuit à sequestratione pecuniæ non esse incipiendum, l. *unica C. De prohib. sequest. pec.* Existimo itaque exceptiones, & allegationes Opponentis in hac causa propositas, in ea conditione esse, ut remorari debeant nantizationem petitam, & admittendam ac recipiendam sunt in cognitionem ante nantizationem.

De Præbendis.

SUMMARY M.

Pensionis solutio provisionalis.

1. *Pensio super beneficio privata pactione constitui non potest.*
2. *Pensio per quem constitui possit.*
3. *Pensio constituitur super beneficio non debetur à constituyente si beneficium deserat.*
4. *Pensionis recipienda possessio quomodo amittatur.*

CONSILIUM CCLXXIV.

QUOD petita per D. Servatium Nollens hujus causæ Impetrantem pensionis, de qua in hac causa controversia est, provisionalis solutio in hoc præsertim hujus causæ statu, adversus pauperulum sacerdotem D. Petrum Caverinum hujus causæ Opponentem decerni non debeat, sub compendio his paucis deducitur. * Certum est ex sola promissione solvendæ alicujus pensionis ob. dimissum alteri aliquod beneficium agi non posse; cum ex so-

la privatorum promissione pensio super fructibus beneficii Ecclesiastici constitui non possit, ob id quod vitium simoniæ in hujusmodi promissione lateat, *Gloss. in c. Ex parte De offic. deleg. Præposit. in c. Sed adhuc l. q. 3. Gigas de pens. q. 5. nu. 3.* Verum quidem est, quod promissio de solvenda pensione, quæ legitimè per auctoritatem habentem, veluti per Papam aut Episcopum constituta & reservata est, vel quæ sic reservatur in casu, seu sub hac conditione, si vel cum reservata erit ab auctoritatem habente valeat, non tamen valet hæcenus neque effectum suum extendit talis promissio ultra tenorem ipsius reservationis: † ob id, quod pensionis reservatio, non pendeat à voluntate stipulantis seu promittentis pensionem & illius solutionem, sed ab auctoritate, voluntate, & beneplacito Pontificis seu alterius superioris, cui reservandæ pensionis jus, & potestas est, *Cassad. decis. 4. sub tit. de locat. & conduci.* Et sic quâ ratione tota pensionis solvendæ promissio nulla est, si nulla ex parte fulcitur, aut robor accipit ex reservatione Apostolica; si videlicet vel literæ Apostolicæ desuper expeditæ non sint, aut saltem non expedita est nuda signatura Apostolica: ita quoque ex parte nulla est quoad clausulas extensionis, aut obligationis intensivas, si illæ quoque non sint comprehensæ expressè, vel virtualiter in reservatione quam Pontifex vel alius superior facit, super hujusmodi promissâ pensionis; ut sit eadem ratio partis, quæ totius, l. *Quæ de tota de rei vindic. Quæ* cum Actor intentionem suam in hac causa specialiter fundet ex clausula comprehensa in instrumento promissæ solutionis dictæ pensionis, quæ ita habet, quod etiam si eundem Dominum Petrum prædictam Ecclesiam loci de Rameloz resignare seu alio quovis modo dimittere contingeret; ipsi Domino Servatio, quoad vixerit satisfaceret, & ex inspectione nudæ signaturæ per Actorem in hac causa exhibitæ constet, quod ejusmodi clausula in reservatione Apostolica non contineatur; consequens est, hujusmodi clausulam stare in finibus conventionis partium, sed non esse corroboratam ex voluntate aut auctoritate Pontificis reservantis pensionem. Ideoque secundum præmissa dicendum est, ex hujusmodi promissione, seu ex prædicto pacto informante, nullam dicto Impetranti competere, aut dari actionem: quia omnino illicita est, non habens vitæ spiraculum, fomentum, aut robor ab auctoritate, & reservatione Apostolica. * Sic quod Reo hujus causæ non tantum ad subterfugiendum petitam hanc nantizationem, seu provisionalem solutionem petite pensionis; verum etiam ad obtinendum plenam absolutionem ab impetitione Impetrantis etiam in hoc rerum statu sufficere debeat, quod allegaverit & satis probaverit, ulteriusque si opus fuerit probare obtulerit (quamvis Impetranti incumbat probatio præsentis possessionis, l. *De probat. Act. c. eod. tit.*) quod pro illis annis, quorum decursos terminos Impetrans in hac causa petit, non fuerit possessor hujus beneficii parochialis Ecclesiæ de Rameloz; sed alius quidam Dominus Toussanus Pontanus. Inde enim consequitur, quod cum per prædictâ Impetratæ nudâ signaturâ auctoritate Apostolicâ Impetratæ sit reservata hæc pensio duodecim

Duca.